

A D J U N C T U M

sub Lit. A.

*Sententia Curiae romanae, qua Parochia in Nideremmel ad Mosellam
Diocesis Trevirensis de Jure Patronatus Carthusiae prope Treviros
existens judicatur libera ab alternativa Mensium contra
Eminentissimum Trevirenssem Sc.*

Joannes Jacobus Millo Protonotarius apostolicus, ac Sanctissimi Domini
nostri Papae Datarius, Cajetanus Elephantutius, Aloysius Matthejus sacrae
Rotae Auditores, Xaverius Justinianus Subdatarius, Camillus Philippus Sel-
larius vacationum per obitum Praefectus, omnes Judices Commissarii in
Congregatione particulari ab eodem sanctissimo Domino nostro Papa Benedicto
XIV. ut infra deputata.

Serenissimo & Reverendissimo Principi & D. Domino Dei & apostolicae
Sedis Gratia Archiepiscopo & Electori Trevirensi, nec non Illustrissimo &
Reverendissimo Domino Nuntio apostolico pro Sanctissimo Domino nostro
Papa sanctaque Sede apostolica ad tractum Rheni residenti, ac Illustrissimis &
Reverendissimis Dominis in Christo Patribus, & Dominis Episcopis Archi-
episcopatus praefato vicinioribus universis quoque & singulis RR. DD. Ab-
batibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Thesaurariis, tam
cathedralium, quam collegiatarum Canonicis, parochialiumque Ecclesiarum
Rectoribus, Curatis, Capellanis, caeterisque Presbyteris, Clericis, Notariis
& Tabellionibus publicis quibuscunque, illique vel illis, ad quem, seu ad
quos praesentes nostrae Litterae provenerint, aut praesentabuntur, Salutem in
Domino. Noveritis, qualiter introducta lite, & causa primo, & in prima
coram Judice deputato a praelaudato Serenissimo & Reverendissimo Domino
Archiepiscopo Trevirensi inter Rev. D. Henricum Josephum Braun provi-
sum a praedicto Reverendissimo Domino Archiepiscopo uti Indultario ex
una, & ven. Monasterium & RR. PP. Priorem, & Monachos carthus. ad
S. Albanum extra Treviros, nec non Rev. D. Petrum Haspon ab eis praesentatum
partibus ex altera de, & super Institutione Eccles. parochialis S.
Martini, in Pago Niederemmel Diocesis Trevirensis & deinde vigore ejusdem
Sanctissimi Domini nostri Papae specialis Commissionis per sanctitatem suam
signatae nobisque directae super cognitione, decisione, ac terminatione supra-
dictae causae tenoris ut infra videlicet = Trevirensis parochialis = F. D. de
Zelada = Beatissime Pater humiliter exponitur S, V, pro parte & ad instantiam
devoti

devoti illius Oratoris Josephi Braun, qualiter vacato Beneficio curato in Niederemmel in Mense Julii anni 1747. fuit de illo provisus Orator antedict. ab Archiep. Trevir. vigore indulti uti vacato in Mense apostolico: Econverso Monachi Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros prætendentes dictum Beneficium curatum non esse subiectum affectionibus ad illud, præsentarunt alium Sacerdotem. Introductaque causa super institutione coram iudice de partibus, ista per Sententiam definitivam declaravit supradictum Beneficium curatum esse subiectum reservationi mensium, & pro huiusmodi effectu dandam esse institutionem Oratori, ab ista Sententia Monachi Carthusiæ appellarunt ad S. V. & successivè curarunt illam committi S. Rotæ Auditori, modo Orator antedictus supplicat S. V. ut dignetur causam, & causas huiusmodi unà cum omnibus emergentibus, dependentibus annexis, & connexis, totoque negotio principali cum clausula, quam & quas prævia advocazione à S. Rota congregationi datariæ S. V. una cum adjunctis audiendi, cognoscendi, decidendi sineque debito terminandi committere & mandare cum facultate citandi, & inhibendi in Curia & extra, quos, quibus, quoties, ubi, & quando opus fuerit, etiam per Edictum publicum & sub censuris, omniaque alia facienda, gerenda, exercenda, quæ in præmissis & circa præmissa erunt quomodolibet necessaria, & opportuna. Nec non Constitutionibus & Ordinationibus apostolicis, Stilo Palatii & Curiæ, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque Statum pro plene &c. = de Mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ congregatio datariæ una cum Mag. Elephantutii & Matthei cit. & inhibeant, procedant, ut petitur, & Iustitiam faciant = Placet P. Alexander de Planchis Poregens. Eademque causa coram nobis proposita & diversa, ac pluries auditis partibus in contradictorio Iudicio in voce ac in scriptis, tandem sub die 6. Septembris 1752. nostram protulerimus Sententiam tenoris infra scripti videlicet = CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de jurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causa & causis, quæ primo, & in prima coram Iudice deputato ab Eminentissimo Domino Archiepiscopo Trevirensi secundo & in secunda, seu alia veriori vigore commissionis signatæ & in actis productæ in executionem Decreti R. D. D. Auditoris sanctissimi prolati sub die 18. Novembris 1749. per acta Paparozzi coram nobis ventilatæ fuerunt & vertuntur instantiis inter R. D. Henricum Josephum de Braun provisum à prælaudato Eminentissimo Archiepiscopo uti Indultario S. Sedis de Ecclesia parochiali S. Martini in Pago Niederemmel Diocesis Trevirensis vacata in Mense Julii anni 1747.

per

per obitum Quirini à Ponte ultimi illius possessoris ex una, ac ven. Monasterium, & R. R. P. P. Priorem & Monachos Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros, nec non R. D. Petrum Haspon ab eis præsentatum ad supradictam Ecclesiam parochialem ex altera partibus de & super institutione ad dictam parochialem & respectivè confirmatione, vel infirmatione judicati Domini Judicis deputati ab Eminentissimo Archiepiscopo Trevirensi, rebusque aliis in actis ejusdem causæ, & causarum latius deductis ad quæ inhærenter ad resolutionem captam sub die 5. Aprilis currentis anni 1752. dicimus, decernimus, declaramus, & definitivè sententiamus bene fuisse per ven. Monasterium & RR. PP. Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros, ac præsentatum ab eis appellatum, & de nullitate dictum, malè verò & perperam fuisse à Judice deputato Eminentissimi Archiepiscopi judicatum, & propterea Sententiam seu Decretum D. Judicis deputati infirmandam & revocandam, seu infirmandum & revocandum fore & esse, prout infirmamus & revocamus, & pro infirmata & revocata, seu infirmato & revocato haberi volumus & mandamus, & pro hujusmodi effectu dictum R. D. Petrum Hospon uti præsentatum à ven. Monasterio, & RR. PP. Priore & Monachis Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros existen. in quasi possessione præsentandi ad eandem Parochialem S. Martini in Pago Niederemmel in quacunque vacatione, etiam si in Mense reservato instituendum fore & esse ad prædictam Ecclesiam parochialem, prout ab Ordinario institui volumus & mandamus, eumque sic institutum immitendum fore & esse in actualem, realem corporalem possessionem supradictæ Eccles. parochialis, ejusque Jurium annexorum & pertinentiarum quarumcunque prout prævia dicti institutione immittere volumus, & mandamus. amoto dicto R. D. Henrico Josepho Braun & alio quolibet illicito Detentore, eidemque R. D. Petro Haspon respondendum fore & esse de omnibus & singulis fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis quibuscunque ad dictam Ecclesiam parochialem quomodolibet spectantibus, prout responderi volumus & mandamus, mandatumque de immitendo, & aliud quodcunque desuper quomodolibet necessarium, & opportunum decernendum & relaxandum fore & esse, prout decernimus, relaxamus, & pro decretis & relaxatis haberi volumus, & mandamus, perpetuumque silentium de & super præmissis dicto Josepho Braun imponendum fore & esse, prout imponimus, & partem victam victrici *in expensas* & respectivè ad fructuum restitutionem condemnamus, quorum taxationem & respectivè fructuum liquidationem nobis, vel cui de jure imposteràm reservamus, & ita dicimus, decernimus, & definitivè sententiamus non solum præmissis, sed & omni alio meliori modo. = Ita
pro-

pronunciavi J. Datarius & Judex commissarius. = Ita pronuntiavi Ego A. Matthejus fac. Rotæ Auditor, & Judex Commissarius. = Ita pronuntiavi X. Justinianus Subdatarius & Judex commissarius. = Ita pronuntiavi C. P. Sellarius vacat, per obitum Præf. & Judex commissarius.

A D J U N C T U M

sub Lit. B.

Documenta quibus probatur Parochias Ecclesiæ perillustri collegiatæ in Vilich incorporatas esse de perpetuo Jure Patronatûs.

I.

Nos Adolphus Dei Gratia Romanorum Rex semper augustus ad universorum Sacri Imperii fidelium notitiam cupimus pervenire, quod anno Dni millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione 5ta 9na Julii illustris Regis Romanorum quondam Conradi secundi donationes, concessiones, privilegia, libertates, immunitates, gratias, & honores, quæ & quas, quos ut insignis divæ Recordationis noster Prædecessor prædictus facere meruit, prout inferius plenariè continetur, prout in suis literis vidimus non cancellatis, non abolitis, nec in sua aliquali particula vitiatis factis Ecclesiæ in Vilich colon. Diœcesis, certo Stylo conscriptis, & suo Signo proprio consignatis, sub forma, quæ sequitur in hunc modum:

In Nomine sanctæ, & individuae Trinitatis &c. Conradus divina favente Clementia Rom. Rex secundus. Justitiæ definitio est constantem, ac perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique, quod sibi jure competit, quam virtutem, cum omne hominum genus partim à natura, partim institutis legalibus edoctum colere semper & exercere habeat, præcipuè tamen Regiæ Dignitati congruit, talem animi habitum immutabiliter induere, eis aut personis nostra in omni pietatis, & æquitatis defensione dignatio propensio debet adhibere Benevolentiam, quæ divinis sincerius sunt mancipatæ obsequiis & nobis in Administratione Regni sollicitè agentibus, & orationis mundæ beneficio & veracis Consilii subsidio, & indefessi laboris studio assistunt, ea propter omnium tam futuræ, quam præsentis ætatis fidelium nostrorum noverit industria, quod nostram celsitudinem adigens, vir prudens, & efficax Arnoldus nostri Imperii Cancellarius petiit quatenus Monasterium Villick Deo dicatarum Virginum, cui Soror ipsius

D

car-

carnalis Hizeka venerabilis Abbatissa præesse dignoscitur in nostræ Regiæ, & Imperialis Tutitionis protectionem, sicut ab antiquo fuit recipere, & nostri Præcepti Privilegio fortius communire, cujus rationabilibus petitionibus aurem Pietatis clementer inclinando statuentes decernimus, ut præmemoratum Monasterium sanctarum Virginum Villicke secundum Regulam S. Benedicti viventium, quod vir nobilis Mengingor cum ingenua & religiosa Uxore sua Herbirga temporibus divæ Memoræ Imperatoris Ottonis Secundi in sua proprietate condiderunt, & ab omni sæculari Jure seu publica functione Ottonis Tertii Privilegio exemerunt propria & ab antiquis Regibus, vel Imperatoribus jam dicto videlicet Ottone Tertio, nec non ipsius Successore Henrico Imperatore collata libertate potiantur ad formam, & similitudinem Monasteriorum, quæ propriè, & specialiter ad Regni proprietatem, & ordinationem pertinent, id est Quindelingeberg Zandersheim, & Afenda, fundos igitur, & prædia, quæ à prænominatis Constructoribus, vel aliis Deum timentibus viris ad ipsum Monasterium tradita sunt, ab omnium hominum vexatione, & inquietatione libera plena cum immunitate in perpetuum esse in præsentis Edictum paginæ constituimus, ita videlicet ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vice-Comes, nullius Officii persona magna, seu parva res sæpe dicti Monasterii exactioe aliqua, vel Hospitiis inquietare, aut vexare præsumat; has aut possessiones suis Nominibus subternotandis censuimus, Villam Villicke, cum omnibus appendiciis suis secundum Privilegia Regum, & Imperatorum cum Ecclesia Baptismali, & omni Decimatione, & terminum ad ipsam pertinente, cum Capellis, ubi plebanus residet, Urwintern, Dollindorp. Item Dollendorp, Kassalt, Kudeuchoven, & earum Decimationem, tam in agris, quam vineis ortis novalibus, & omni Jure parochiali, præterea in eodem termino sunt aliæ Capellæ Dominorum absque procuratione Matricis Ecclesiæ in Villa Humelgis Ecclesiam cum omni Decimatione, Molendinum unum, & quatuor Mansos indominicatos, & præterea Mansos viginti septem, & dimidium, & curtem unam in Villa Wizelare Ecclesiam unam cum omni Decimatione duos Mansos indominicatos, & præterea Mansos quatuordecim in Villa Marafa quinque Mansos indominicatos, & alios viginti quinque, & dimidium, duo Molendina, & Sylvam unam in Villa Billicke novem Mansos, & duo Molendina in Villa Wanebach sex Mansos indominicatos, & alios triginta duos Mansos, & novale octuaginta Jurnalium in Villa Romershagen Mansos quatuor. In Winterenburen sex solidos Denariorum in Rizenhagen, quinque solidos, & sex Denarios in Villa Hladebach Mansos indominicatos duos, & alios sex, & duo Molendina in Villa Roden. 4. Mansos indominicatos & alios duodecim &c.

Et ut hæc omnia firma, & inconcussa omni tempore permaneant præfentis præcepti paginam conscribi, & nostræ Imaginis Impressione insigniri, Testesque, qui adfuerunt subternotari iussimus, Fridericus Magdeburgensis Archiepiscopus Henricus Ratisbonensis Episcopus Otto Frisingensis Episcopus, Sifridus Spirensis Episcopus, Boccho Wormatiensis Episcopus, Embrico Wirzeburgensis Episcopus, Hilbertus Bauenburgensis Episcopus, Henricus Holomucensis Episcopus, Wiccherius Brandenburgensis Episcopus, Fridericus Hermannus noster Dux Sueviæ, & Alfatia, Conradus Marchio de Wittin, Adelbertis Marchio de Brandenburg, Ludovicus Landgravius de Thoringia, Otto Palatinus Comes Wittelenesbach, Therwaldus Marchio de Kambe, Zeverhardus Comes de Sulzebach, Udalricus Comes de Luzeburg; Bertholdus Comes de Avedes. Wiboldus Stabulensis Abbas anno Dominicæ Incarnationis M.C.XLIII. Indictione VI. regnante Domino Conrado Romanorum Rege 2do anno verò Regni ejus 7mo data est apud Babenberg. in Xto Fel. Amen.

II.

Cœlestinus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis in Christo fidelibus Abbatissæ Villicensis Monasterii quoque Sororibus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum prudentibus virginibus, quæ sub habitu Religionis accensis Lampadibus per opera Sanctitatis jugiter se præparant ire obviam Sponso, Sedes apostolica debet patrocinium impertire, ne forte cujuslibet temeritatis incurfus, aut eas à proposito revocet, aut robur, quod absit sacræ Religionis enervet, quapropter dilectæ in Xto Filiæ vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri, & nostra protectione suscepimus, & præfentis suscepti Privilegio communimus. . . præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum, vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis locum ipsum, *in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis Villam scilicet Villicensem cum Ecclesia baptismali, & omni Decimatione, vel Termino ad ipsam pertinente cum Capellis quinque ad ipsam Plebem pertinentibus scilicet Winter, Dollendorp. Item Dollendorp, Cassel, Kudenboven, & earum Decimationem, tam in agris, quam in vineis cortis novalibus, & omni Jure parochiali. Item in Villa Himmelgerst Ecclesiam*

cum omni Decimatione Molendinum unum, curtem unam, & quatuor Mansos indomincatos, & præterea Mansos viginti septem & dimidium. Item in Villa Wittelaer Ecclesiam unam cum omni Decimatione duos Mansos indomincatos &c. Siqua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisque persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens temere contravenire tentaverit, secunda, tertiave emonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, à sanctissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo Examine districtæ Ultioni subjaceat, cunctis autem eidem loco sua Jura servantibus sit Pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ Actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmium æternæ Pacis inveniant Amen; Datum Laterani de manu Cardinalis Domini Papæ Camerarii tertio Kalend. Maj. Indictione decima Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo nonagesimo quinto pontificatus verò Domini Cœlestini Papæ Tertii anno quinto,

III.

Univerſis Præſentes Literas inſpecturis. Sygfridus Dei Gratia ſanctæ Eccleſiæ Coloniensis Archiepiſcopus ſacri Imperii per Italiam Archicancellarius ad perpetuam Rei Memoriam cognoscere veritatem; quanto ſincerius dilectas in Xto Abbatiffam, & conventuales Monasterii de Villicke Ordinis S. Benedicti noſtræ Diœceſis diligimus tanto libentius ſuper his, quæ ipſarum protectionem, & utilitatem respiciunt favorem eis benevolum impartimur, ſane ex parte earundem nobis fuit humiliter ſuplicatum quod cum præbendarum redditus, & proventus, quos de bonis, & poſſeſſionibus ſuis percipere conſueverunt, propter rapinas rerum ſuarum, & hoſtilitates, invaſiones graves, & multiplices eſſent adeo minorati, & facti tenues, & exiles, ut ex illis nequeant commode ſuſtentari & de Himmelgeiſt & Wittlere Eccleſiæ in quibus obtinent Jus patronatûs eſſent abundantes in Reditibus, & Proventibus, quod redditus eoſdem Presbyteris in iisdem Eccleſiis perpetuo ſervituris portione congrua, de qua commodè ſuſtentari, & alia incumbentia eis onera ſupportare valeant, reſervata ipſi Monasterio ad ſupplendum deſectum hujusmodi deputare Authoritate noſtra in Subſidium dignaremur nos earum in hac parte devotis precibus inclinati, diligenti ſuper his Tractatu præhabito conſideratis conſiderandis, & obſervatis circa hæc obſervandis de Conſenſu Archidiaconi locorum eorundem duximus indulgendum, & Reditus, & Proventus ipſarum Eccleſiarum dicto Monasterio incorporamus in perpetuum, volentes Presbyteris indiſtis locis per-

perpetuo fervituris congruam, & competentem portionem, unde commodè sustentari valeant de Reditibus, & Proventibus earundem Ecclesiarum ab ipsis Abbatissa, & Conventu assignari, & deputari ita quod eisdem Presbyteris hospitalitatem fervare cathedraicum, Jura Episcopalia & Archidiaconalia, & cætera onera, atque Jura antiqua & nova, quacunq; occasione emergentia, quæ ipsas Ecclesias respiciunt commodè valeant sustinere, statuentes etiam Autoritate nostra, quod quancumq; dictas Ecclesias ex nunc in antea vacare contigerit, quoquò modo, etsi vacent in præsentì, quod idoneæ personæ præsententur ad dictas Ecclesias earum Archidiacono instituendæ in eisdem, qui Pastoratus præfatarum Ecclesiarum obtineant, Curas earundem recipiant & habeant animarum, ac Residentiam in ipsis Ecclesiis faciant personalem in cujus Rei testimonium, & perpetuam firmitatem, ac Autoritatem, & Consensum præsentis Literas Sigillo nostro duximus roborandas, & Nos Weckeboldus Maldt. Decanus, & Archidiaconus Colonienfis dictorum in Himmelgeist, & Wettlere Archidiaconalem Consensum nostrum præmissis propter causas prædictas, quas adhæc decernimus sufficientes, adhibentes Sigillum nostrum in Testimonium duximus præsentibus appendendum, Nos etiam Abbatissa, & Conventus prædictus Sigilla nostra in Testimonium duximus præsentibus appendendo. Datum, & Actum anno Domini Millesimo decentesimo nonagesimo decimo Kalend. Novembris.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

A D J U N C T U M

sub Lit. C. ad §. X. hujus Dissertationis.

*Documenta Parochias Abbatiae S. Pantaleonis intra
Coloniam spectantia.*

I.

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit universitas fidelium tam futurorum quàm præsentium, qualiter ego Sigewinus Archiepiscopus, venerandi Abbatis Humberti circa sibi commissi gregis curam provisoris solliciti crebris commonitionibus & devotis petitionibus pulsatus & sollicitatus annuerim, quatenus commissæ sibi Ecclesiæ res tenues, nec fratrum necessitatibus sufficientes augerem, & augendo divinum ibidem servitium.

tium stabilirem. Hujus igitur tam piæ Patris petitioni pro meæ quoque animæ remedio sollicitus, dum satisfacere desiderarem, contigit *Parochiam quandam Emba videlicet inferiorem ad commissum præfato Patri cœnobium pertinentem* suo destitutam Pastore vacare, de cujus decimis prælibatus Abbas suggestit Fratrum suorum necessitatibus posse subveniri. Unde convocatis Ecclesiæ nostræ tam dignitate quàm consilii ratione Prælati & Majoribus ejusdem Abbatis petitionem in medium protuli poscens eorum Authoritate & consilio roborari, eorum itaque non modò consilio roboratus, verùm etiam unanimi petitione compulsus, *supra memoratæ Parochiæ mansum integrum cum IX. mansorum decimis, quod visum est Fratri curam suscipienti posse sufficere determinavi. De reliquo concedens & statuens Ecclesiam S. Pantaleonis promoveri, & fratrum ibi Domino servientium necessitatibus subveniri.* Quod ut impostèratum & inconvulsam permaneat, banno nostro confirmavimus, & chartam hanc super his fieri præcipientes, & nostri sigilli impressione communiens. Omnem Proclamatorum & concessionis & statuti nostri transgressorem anathematis vinculo ligatum à S. Matris Ecclesiæ liminibus sequestravimus. Hujus rei Testes sunt Domus S. Petri Præpositus Berengerus. Decanus Wigmarus. De S. Gereone Hartwigus Præpositus. De S. Severino Arnoldus Præpositus. De S. Cuniberto Hecelinus Præpositus. Altaris S. Pantaleonis Advocatus Bruno, Gebhard Comes de Juliaco, Adolphus Comes de Norvenich, & Frater ejus Adalbertus de Saphenbergh de familia S. Petri, Hermannus Tiezo. Heinrich & alii complures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo LXXXI. qui est Annus secundus Dni Segiwini Archiepiscopi, Indiæ. IV. in Sacrario S. Pantaleonis die solemnitate ejus.

II.

Un Nomine sanctissimæ & individue Trinitatis... Conradus Dei Gratiâ
 Il sanctæ Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, omnibus quibus hæ Literæ præsentatæ fuerint in perpetuum. Quia ex officio nostro circa illa tenemur solliciti reperiri, per quæ honor Religionis & Religiosorum sub regulari observantia omni tempore vitæ suæ Deo servientium utilitas procurantur, eorundem precibus Religiosorum nos decet facilem præbere assensum, ubi vigor æquitati suadet & ordo exiguarationis. Igitur cum Monasterium sancti Pantaleonis in Colonia propter Guerram tempore, quo nos pro obedientia & Reverentia Sedis apostolicæ usque ad vincula laboravimus, irrecuperabilem jacturam quorundam bonorum suorum

in Dioecesi nostra constitutorum sustinisset, in tantum quod idem Monasterium de cætero non posset gratum, ut laudabiliter confueverat, pluribus exhibere hospitalitatis obsequium, & indigentibus impendere necessitatis subsidium, Hermannus Abbas Devotus noster & Conventus ejusdem Monasterii nobis humiliter supplicarunt, quatenus dicto ipsorum Monasterio, ne propter prædictam causam & propter alios casus molestos collaberetur, paternâ dignaremur sollicitudine providere. Quapropter attendentes sinceram devotionem, quam idem Abbas & Conventus dicti Monasterii circa Ecclesiam romanam, nec non & circa personam nostram & Ecclesiam Coloniensem semper habuerunt, & cum nostris beneplacitis paratissimè sint expositi ad multam ejusdem D. Abbatis & aliorum bonorum pro eis supplicationem nobis factam, *fructus trium Ecclesiarum* in Dioecesi Colonienfi sitarum, scilicet Suchtele, Embe & Elstorff, *quarum Jus patronatûs ad Abbatem dicti Monasterii pertinet. Eisdem Abbati & Monasterio suo cum ipsas Ecclesias vacare contigerit, in Elemosinam perpetuo duximus concedendos* ad hospitium & pauperum sustentationem, ita tamen quod *Clerici dictarum Ecclesiarum perpetui Vicarii per Abbatem præfati Monasterii præsentandi curam animarum habentes, & ipsas Ecclesias officiantes, competentem habeant sustentationem, & iidem præsentati nobis & Successoribus nostris Archiepiscopis super Juribus nostris, & Archidiaconorum & Decanorum respondeant de Ecclesiis memoratis.* Decernimus ergo, ut nullus omnino hominum prædictam concessionem nostram sæpèfatis Abbati & Monasterii sancti Panthaleonis in Colonia propter evidentem necessitatem à nobis rationabiliter factam infringere, vel ei temerè contrariare præsumat, alioquin si quid contra eam attemptaverit, nisi commonitus resipiscat, sententiam Excommunicationis super his à nobis latam se noverit incurrisse; hæc autem nostra concessio ut rata & firma in perpetuum permaneat, præsentem paginam exinde conscriptam sæpèdictis Abbati & Monasterio suo tradidimus, Sigilli nostri munimine roboratam. Actum & datum Mense Junio Anno Domini M.CC. quadagesimo sexto.

(L. S.)

III.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii S. Panthaleonis Colonienf. Ordinis S. Benedicti salutem & apostolicam Benedictionem. Ex parte vestra petitio nobis exhibita continebat, quod Monasterium vestrum, quod olim pro se ac aliis bonis plurimis confueverat abundare pro fidei puritate, quam ad romanam

ha-

habetis Ecclesiam & defensione libertatis ecclesiasticæ diripientibus ac invadentibus inimicis Ecclesiæ bona ejus attenuatum est plurimum & attritum, quod venerabilis Frater noster Colonienſis Archiepiſcopus pia conſideratione perpendens & gerens ad Nos piæ compaſſionis affectum, *pro veſtris neceſſitatibus relevandis de Sucbtele, de Embe, & de Elſtorp Eccleſias ſuæ Diœceſis, in quibus Jus patronatûs vos habere proponitis*, quarum redditus triginta Marcarum valentinam annis ſingulis, ut dicitur, non excedunt, *vobis in proprios uſus Capituli Colonienſis accedente conſenſu de gratia contulit liberali*; prout in ipſis litteris ſuper hoc confeſtis dicitur plenius contineri. Nos igitur exigentibus devotionis veſtræ meritis, *nec non conſideratione præfati Archiepiſcopi & Communitatis Colonienſis, ac Nobilium vivorum Comitum Juliacenſis, & Arnoldi Domini de Drifz apud nos pro vobis per litteras interponentium* Preces ſuas, volentes vos proſequi ſpeciali gratiâ & favore, quod per dictum Archiepiſcopum de præfatis Eccleſiis providè factum eſſe dignoſcitur, *vatum & gratum habentes illud Authoritate apoſtolicâ confirmamus*, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ita tamen ut in eiſdem Eccleſiis *aſſignentur earum Vicariis congruæ portiones, ex quibus commodè ſuſtentari valeant*, & Episcopis de juribus Episcopalibus & Archidiacono de Archidiaconalibus reſpondere; nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni VII. Idus Octobris, Anno Pontificatûs noſtri ſexto, qui eſt Annus Chriſti 1249.

